a

ORATIO PERSTRINGENS BREVITER HISTORIOlam Lanienæ *Gallicæ*: Speciatim verò *Parisiensis* istius horribilis, quæ incidit in Annum CIↃ. IↃ. LXXII.

Occasione huius Orationis discussæ sunt quæstiones non-nullæ politicæ, Ethicæ, Aulicis potissimùm, & viris politicis destinatæ.

Status item temporis præsentis, cum statu temporum istorum tristissimorum ex collatione disquiritur: quæ Anglis Nobilibus & Generosis, *Gallis, Germanis, & Belgis*, legenda atque examinanda publicè.

Voluntate, fine, & fide optimâ, cum boho Deo proponimus.

PROV. SALOM. 29.

Rex instituendo erigit terram, abominantur iustis virum impium.

LONDINI,
Excusum per *Thomam Snodham*.
1619.

Tho: Baker Coll: Jo: Socius ejectus

VIRO NOBILI
AC MAGNIFICO

NOËLI CARON,

DOMINO A SCHONEVVALE,

ORDINVM BELGII

APVD SERENISS.

MAGNÆ BRITANNIÆ

REGEM

LEGATO PERPETVO,

Historiolam

De tristi piorum per Galliam *lanienâ, quæ incidit in*

Annum

CIↃ. IↃ. LXXII.

Die BARTHOLOMÆI *& sequentibus;*

Monumentum & pignus exiguum

AMORIS *atque* HONORIS

MAGNI

L. M. Q.

Do. Dico. Consecro.

A. D. B.

A. De Bruyn.

UNIV. DUNELM.
BIB. SOUTHIANA

ORATIO.

VIr Nobilis & Prudens, Historiarum cognitionem vtilem esse ac necessariam viris imprimis politicis, vix quemquam latêre puto. Quid enim aliud historia quàm verissima institutio & præparatio ad actiones politicas, atque illustris magistra ad perferendas fortunæ vices? Addo quòd nemo patrem, nemo maiores suos nosset; nemo ius suum aut alienum vel scire posset, vel obtinere; nemo quam regionem incolat, quomodo ibi peruenerit, nemini sua possessio certa esset & rata, nisi historiæ munere. Profectò ita se res habet, neque quisquam facilè huic contra-dixerit sententiæ, nisi cui veritati oppedere consilium & animus. Ex historijs igitur didicimus aliquot dirarum lanienarum exempla: Sed illâ immanitate de quâ sum dicturus, nulla neque nostrâ, vel patrum nostrorum memoriâ tetrior & sceleratior. *Mithridatem* legimus in Asiâ trucidanda curasse Romanorum octoginta millia: Funestam in Pythagoræos cædem olim in eâ *Italiæ* parte, quam magnam *Græciam* dixêre, perhibent admissam. Sic in recentioribus histo-

rijs Tmplarios, quos vocarunt, in *Galliâ* ſimul omnes occiſos à *Philippo Pulchro* : *Gallos* contrà, à *Siculis*, ad Veſperas, vt loquuntur, eo facinore nobilitatas ad vnum omnes miſerè interemtos docent hiſtoriæ. Verùm has cædes quamlibet barbaras, deteſtabiles, tartareas, immanitate, ſæuitiâ, & flagitioſiſſimâ perfidiâ longè vîcit Laniena *Gallica*, quâ ſicarij ſcelerati, rabie efferatâ, in omnes promiſcuè pios, in homines nobiliſſimos, in Duces præſtantiſſimos, & pleroſque quidem ad ſacrũ Nuptiale, blanditijs pellectos, nullâ dignitatis, nullâ ſexus, nullâ ætatis habitâ ratione, indigniſſimè perpetrarunt : Riuos, plateas fluuios, vrbes, ipſamque (proh pudor) Aulam regiam ſanguine innocenti compleuerunt : Denique vix ab ipſo ſponſo, poſtea ad *Gallia* regnum, miro Dei iudicio, vocato, manus cruentas & nefarias abſtinuerunt.

Hæc & ſimilia, vir ampliſſime, nos fugerent omninò, niſi hiſtoriarũ beneficio nobis eſſent nota. Magni igitur illi faciendi qui cum fide & curâ hiſtoricâ ad poſteros tranſ-mittunt virtutum & vitiorum exempla, vt ex illis quid nobis ſequendum vel fugiendum diſcamus. Hoc fine, anno ſuperiore, ſub feſtum *Bartholomæi*, amico cuidam & noto vt gratificarer, hanc hiſtoriolam in literas miſi : quod ſtudium meum ſi cui videatur intempeſtiuum poſt tot annorum decurſum, huic reſponſum velim, meas me habere rationes, quas vtì mihi ſeruo liberas, ita alijs ſuas permitto : Quippe ſuo qui vtitur iure, alteri iniuriam non facit. Hoc tantùm dico, dum Lanienã hanc triſtem, truculentam atque immanem retexo & refrico, non aliam inuito vel prædico ; ſed boni omi-

nis

nis cauſâ viros Principes & primarios moneo ſubmiſsè, ſibi in futurum vt caueant: Etenim quis neget, id quod olim factum eſt, idem fieri poſſe hoc noſtro tempore? Nam medius-fidiùs illis quid fidas, qui violato pacis edicto, iuriſiurandi religione proculcatâ, perfidè & crudeliter in optimos quoſque ſæviêre, quoſque armatos opprimere non poterant, inermes nec hoſtile quid metuentes, ad internecionem delere ſunt conati? Porrò de hoc ipſo argumento (vt hoc quoque verbo tangam) etſi non ſim neſcius ſcripſiſſe alios, vberiùs & copioſiùs aliquos: ſtrictiùs & parciùs non-nullos: tamen eodem fine & ſcopo ad quem ego collimo, hanc materiam & telam texuiſſe neminem, certò mihi perſuaſum habeo. Dabit igitur mihi veniam T. Amplitudo, ſi cum alijs, etſi poſt alios, in eodem curram ſtadio, atque in hac arenâ ingenij vires experiar. Rogo, vir Nobilis & prudens, tuo mihi fauore adſis, imò de re totâ, quam ſtrictim & per ſumma rerum faſtigia in hoc exordio attigi, mihi differenti præſis.

Res igitur tota bonis omnibus atque iudicio incorruptis vt clara fiat & manifeſta, initio vnde facinus tam nefarium atque immane ſit profectum operæ fuerit pretium vt diſpiciamus. Hoc quidem conſtat, ſi *Cæſari* in Commentarijs credimus, gentem *Gallicam* olim ita fuiſſe feram & crudelem, humano ſanguine vt litaret, homines innocentes ad ſacrificia vt abriperet: Quin imò latrocinia quæ extra muros fineſq; ciuitatis fierent, neque turpia putarint neque ignominioſa. Atqui ex quo legibus & diſciplinis dignioribus fuit exculta, Regiq; vni parêre didicit, ecce tibi à vitæ genere agreſti atque in-

humano ad humanitatem & ciuilitatem fuit tradu-
cta, vt ſanè *Galliam*, hoc quidem tempore, ciuilita-
tis atque humanitatis matrem non abs re vocaueris,
experti dicimus ipſi. Ante ad alia quàm progredi-
ar, uel imprimis hæc nobis cauſa videtur examinan-
da, vnde nimirum gens illa olim quidem crudelis
ita & fera, nunc verò humanitatis & ciuilitatis laude
inſignis, materiam hauſerit & ſemina facinoris iſtius
& perfidiæ incredibilis, quâ de agimus: Imò quid
Carolum Regem ætate etiamnum viridi mouerit, à
quo omnia ſumma ob indolem egregiam, & corpo-
ris atque animi habitum maximè regium & egre-
gium expectabantur; quòd pietatis, virtutis, Regiæ
Maieſtatis & dignitatis immemor, placere voluerit
iſtis hominibus, qui Religionis antiquæ velo & zelo
non vero, ſed ficto & fucato, nihil non poſſunt, ni-
hil non mentes apud ſimpliciores efficiunt. Hinc
illæ lacrymæ. Hac eſcâ & non aliâ Rex *Carolus* in-
eſcatus, per has ambages Princeps annis primis in-
genuus, mitis, & benignus fuit, ductus & ſeductus,
vt, proh dolor! ille, in quo, piè & verè dicente Po-
etarum ſeculi noſtri facilè principe *Buchanano*, ef-
figies Dei ſummi eſſe atque elucere debebat, ad
impietatem, improbitatem, impudentiam, & perfi-
diam, ſeſe abiecerit. Mirum profectò & bis mirum,
niſi veritatis os Chriſtus ita fore prædixiſſet, vt illa
quæ priſcis & temporibus noſtris Religio, vinculum
pacis, concordiæ & ſocietatis eſſe debuerit, toties ſit
& fuerit motus, diſſidij, & turbarum cauſa. Atqui,
me hercle, non vanè, non nugas, neque fabulam ce-
cinit ille:

Quòd

——— Quòd sæpius olim
Religio peperit scelerosa atque impia facta.
Item:
Tantum Religio potuit suadere malorum.

Sed ad rem vt reuertamur, atque vnde sumus digressi recurrat Oratio, facinus illud detestabile aliunde natum vel fabricatum, quam in Pontificis Romani officinâ atque omnium scelerum incude, sibi qui imaginatur & persuadet, totâ, quod dicitur, errat viâ. Neque tamen putandum hunc Nauclerum in naui istâ impietate, nequitiâ, & perfidiâ incredibili benè onustâ, solũ sedisse ad clauum: Sed remiges habuisse & nauales socios eiusdem farinæ numero non paucos, & quouis in scelere egregiè & strenuè exercitatos. Nam primùm quas non partes hoc in opere & facinore Concilij Tridentini coniuratio sibi vendicat? Quod non agmen hac in acie Cardinalium & Hispanorum instigatio ducit? Denique quid non sicariorum Iesuitarum furor, & rabies in hac arenâ atque impietatis castris est conata? Quibus Regum & Principum piorum vitam & sanguinem profundere nunquam non in votis, illorum certè qui Lupo isti rapaci Romano cultum omnem ac venerationem deferre dictis negant vel factis. Accessit, ne quid deesset huic scilicet Concilio & cœtui tam sacro, consilium ab eâ familiâ profectum & conclusum, quæ piorum sanguinem plenis & siccis faucibus iam-diu sitiuit: quam familiam *Guysiacam* cùm dico, quàm plurimas imò infinitas *Galliæ* miserias & calamitates vno spiritu perstringo. Hæc illa est quæ Regem artibus malis, fraude & dolo instruxit, atque ad facinus horribile & teterrimum impulit.

impulit. Hæc illa eſt quæ *Galliam* totam funditùs perire maluit, quàm virum vllum bonum pietate, virtute, vel doctrinâ clarum atque inſignem, in Regis Aulâ aſpicere, nedum tolerare. Huius familiæ tam laudatæ non inutile, indignum, vel ignobile aliquod membrum, ſed caput erat nobilis ille & Cardinalis decantatiſſimus, quem quiſquis cum quodam *Decij* Imperatoris conſiliario contulerit, non ineptè ſed rectè fecerit, de quo Hiſtoria Eccleſiaſtica non ſcribit immeritò, quòd miniſter Dæmonum ſit vocatus, quia Imperatore ipſo peior & nocentior multò, quotquot poterat aduerſus Chriſtianos incitabat atque inflammabat. Hic ille purpuratus quem non inſcitè noſtri temporis *Catilinam* quis dixerit, fraude, dolo, inſidijs, quo iure quâve iniuriâ, mille nocendi excogitabat artes, gaudebat vnanimes armare in prælia fratres, gaudebat odijs vexare domos; breuiter, nihil non faciebat ille purpuratus, & Romani Pontificis fulcrum, vt pacem eiuſque conditiones dirimeret; belli verò ſemina, diſſidia, factiones, turbas, cædeſque aleret: denique ipſâ re oſtenderet mancipium illud Antichriſti, nullum eſſe flagitium vel facinus tam fœdum vel tetrum, quod non à culmine Pontificio ſit profectum. Nihil iſto in Clero ſanum vel integrum, nihil tam ſanctum vel ſolenne, quod non perfidi perfidiâ ſuâ violare & comminuere ſoleant. Teſtes Pontifices innumeri, Cardinales complures, ille imprimis cuius iam nunc meminimus, non equidem cum laude & bonis recordationibus, ſed prout hominis fuit meritum ob crudelitatem, perfidiam, & ſcelera, in viros pios, bonos, doctos; quin-imò ipſam in patriam commiſſa, cum

cum infamiâ atque ignominiâ perpetuâ. Hanc notam homo vitâ & moribus impurus & pessimus sibi inussit, quæ indelebilis est eritque quàm diu vllum in Gallijs virtutis vel doctrinæ vestigium; imò dum orbis Christianus stabit in hominum memoriâ, purpurati istius artes malæ, imposturæ, & fraudes manebunt. Hic scilicet, si Dijs placet, atque homines farinæ eiusdem in quibus mala mens, animus malus, erunt mundi lex & non potiùs fex, pax & non fax, decora & non pecora? Hi inquam, terræ sal, qui non modò insulsi atque inepti, parum quod esset, sed dicente *Sallustio* de *Catilinâ*, quod peius est, ingenio malo prauóque; imò audaci, subdolo, vario. Hi denique illi sunt Pastores boni qui non docere & pascere gregem suum, sed statim sacris initiati, bellis intestinis, cædibus, rapinis, discordiæ ciuili dediti, oues suas dilaniare & ῥάπτειν δόλους, vt cum *Homero* loquar, vel cum *Plauto*, lepidè consuere dolos didicerunt. Egregiam verò laudem! Censeant iudices incorrupti, & si taceant sentiantq; seciùs, vel ipsi lapides loquantur in multis *Galliæ* Prouincijs cum primis, in *Italiæ* parte maximâ, atque *Hispaniâ* vniuersâ, in quâ fraudes Pontificiæ nondum detectæ, sed iusto Dei iudicio etiamnum latent, quæ suo tamen tempore vt pateant, invito Satanâ & frendentibus impijs, dies, imò Deus dabit. Vt, vt sit, hoc omnium animis penitùs sit infixum, idololatriâ vel falso Dei cultu nihil esse crudelius vnquam, nihil efficacius, qui quoties ratione destituatur & veritate, minis, vi, ferro, & flammâ, se tueri conatur, atque ita veris Dei cultoribus, commoda & facultates quibus vtuntur, vitam & spiritum quem ducunt, lucem

quâ fruuntur, modis omnibus eripere. Neque hîc quis miretur, nec abripiat quemquam, Eccleſiæ ſortem hanc eſſe, fuiſſe, & fore, quæ teſte Prophetâ Regio, à iuventute ſuâ, multis difficultatibus affecta, afflicta, iniurijs atque opprobrijs diuexata, multiſque procellis iactata atque exagitata fuerit. Hac tamen in hæreſi nullus ſit, Religionem vt putet veram, quam ex vetere diſcimus & Teſtamento nouo, turbarum, bellorum, & diſcordiarum, eſſe cauſam: neque illa quæ per accidens ex hominum malitiâ & diaboli aduerſus veritatem proficiſcuntur, Religioni veræ eſſe adſcribenda; abſit. Neque hæc dum ſcribimus, pugnantia ſcribimus: hîc enim Religionem veram atque orthodoxam intelligo pacatam & quietam: non illam è *Lucretio* quam notauimus malam, turbidam, diſſidentem: Denique non Religionem Pontificijs inquinamentis & Ieſuiticâ mentiendi prurigine infectam & deformatam. Negent bonâ fide & conſcientiâ ſaluâ, ſi poſſunt, quotquot in cœcitate Pontificiâ viuunt, num ex quo Dei opt. Max. benignitate, Euangelij lux & Religio purior illuxit clarius, Pontificij regni rabies fuerit atque intemperies maior? Ecquid ex officinâ eâdem mendacia, minæ, atque odia immania, aduerſus Euangelicas Eccleſias prodiêre? Factum. Nam vt primùm, ſi confirmare libet quod adfirmamus, mortuo *Henrico* Rege, Eccleſiæ in Galliâ quæ ſpretæ, oppreſſæ, afflictæ, atque in tenebris iacebant, emergere, & creſcere inciperent: Ecce tibi ille fraudum omnium & nequitiæ architectus, & Romani Pontificis emiſſarius Cardinalis *Lotharingicus*, quem iam nunc non-nihil depinximus, ad ſcelera ſua & tyrannidem

nidem omnem viam ſibi vt muniret; atque in capite & fortunis bonorum omnium principatum obtineret, à Regis Aulâ eos omnes arcere cœpit, quos vel factioni ſuæ aduerſari, vel conatibus impijs & neſarijs obſtare poſſe putabat. Atque ita ſe geſſit malignè & contumelioſè contra Galliæ Principes & cæteros optimates, vt Herões non pauci & regni primarij de reprimendâ hominis iſtius ſupra modum inſoleſcentis & familiæ totius ambitione conſilia iniuerint, vnde tum Ambæſiæ tum alibi in Galliâ motus & tumultus graues & funeſti exorti. Hinc Eccleſias & viros Religionis purioris primarios & Antiſtites contumelijs non dicendis afficiebat; mendacijs, fraude, doloque, circumueniebat: quin-imò ne quidquam vir peſſimus omninò & nefarius præter-mitteret, commenticijs criminibus onerabat. Profectò narrare operæ eſt pretium, virum grauem & Cardinalem, eiuſmodi nugis & cuniculis, quibus vſus, quàm plurimos ducere potuiſſe & ſeducere. Etenim vti olim Iudæi à gentibus per contemptum Sabbatharij, Chriſtiani à *Iuliano* Apoſtatâ, Galilæi vocati ſunt: ita tunc qui doctrinæ veritatem amplexi vt peregrini dogmatis accuſarentur, arte Cardinalitiâ Huguenoti vocari cœperunt; quod nomen inauſpicatum ab homine infauſto atque inauſpicato excogitatum, etiamnum in Gallia hæret. O rem ominis & hominis mali! Videamus tamen quo commentum ridiculum nitatur fundamento, & quauis potiùs in re Cardinales eiuſque ſocios quàm in lectione vel meditatione ſacrarum literarum occupatos. Huguenotos igitur hic vir bonus ab illo tempore denominatos voluit, à quodam

ſpectro quod noctu in vicinia Turonum euagari, multorum capitum bellua, vulgus credebat, & Riſum teneatis amici? Monachi cuiuſdam Hugonis dudum defuncti vmbra putabatur, quia & illis temporibus Chriſtiani noctu ſuos conuentus propter perſecutiones habere cogebantur. Hæc dum fiunt, & nullus in regno toto inuenitur piorum & Eccleſiæ afflictæ cauſam agere qui auderet: ecce præter ſpem omnem atque expectationem Dominus Deus illuſtrem illum & fortiſſimum piæ atque æternæ memoriæ Heröem, *Caſparum Colignium*, Galliæ Thalaſſiarchum ſpiritu fortitudinis & zelo incredibili induit, qui animo inuicto in medijs turbis & procellis, Regi ipſi *Franciſco* eius nominis ſecundo, in Regio ſenatu quem priuatum vel ſecretum vocant, eâ in arce quæ Callirrhöe dicitur, fidei confeſſionem Eccleſiarum in Gallia reformatarum nomine exhibuit, earumq; cauſam mira quadam prudentia magnoq; animi robore egit. Quæ res dici non poteſt quantam homini aliàs Regi gratiſſimo inuidiam & maleuolentiam conciliauerit. Hunc, me hercle, poſtea vniuerſa Pontificiorum ſecta & caterua veluti ſcopum vnicum ad quem collinearent, ſibi propoſuit. Hic ille fuit quem telis omnibus appeterent. Hic denique is Heros in quem impij iſti atque homines impuri contumelias omnes conferrent. Imprimis in hoc ſaxo voluendo atque in opere tam nefario promouendo, nunquam ceſſauit familia *Guyſiorum*, vt ſe cruore Gallico, quem ſitiebat, expleret, & ſola rerum in Gallia potiretur. Profectò *Lucani* illud non nugas eſſe vel fabulam, ipſa re comprobauit:

Nulla

Nulla fides regni sociis, omnis q; potestas
Impatiens consortis erit.

Coactis igitur Aureliæ copijs maximis, vbi Regem *Franciscum* pro arbitrio suo regebat hæc familia, nefaria consilia iniuit de Illustrissimo Principe *Condensi* quem captivum tenebant, alijsque viris primarijs quàm plurimis vel capitis supplicio afficiendis, vel mulctâ aliquâ graui mulctandis, aut si quem meliùs paulò & mitiùs haberent, proscriberent. Hîc quis non exclamet:

——Quid non impietas designat?

Hîc, Deus bone, quis immemor veritus veteris & veri:

O furor, ô nimium dominandi innata cupido!

Fregit interim consilia tam crudelia ille, qui pro suâ prouidentiâ vti è specu à intuetur quidquid est, & Regem *Franciscum* diras cædes spirantem, vltimum spiritum reddere iussit. Sed quid? Gentem impiam Dei iudicia atque exemplum tam recens & euidens mouere potuit? Minimé verò; verùm, dicente Prophetâ, bruta gens impiorum in Dei iudicijs cœcutit, & pectus habet crassâ ignorantiâ obnubilatum atque obsessum: & sceleri deuota factio in scelere suo plaudit: secumque cogitat, Deum hæc non aspicere. Non igitur cœci & cœcorum duces de spe nefariâ: non de sceleratis conatibus Christi atque hostes veritatis depulsi fuerunt, ne tunc quidem, cum mortuo *Francisco* Rege adolescente, quo ad interitum piorum abutebantur, Ecclesiæ passim respirarent atque efflorescerent. Imò statim consilijs nouis initis, alios voluptatibus & callidis artibus, demulcere, veluti Regem *Nauarrenum Antonium*; alios cædibus & omni crudelitatis genere terrere,

periculum fecêre; cuius crudelitatis fundamenta in oppido Vaſſiaco iecêre, regnum miſerum miſerè in tria ciuilia bella longè atrociſſima per decennium totum coniecêre. Difficile eſſet, imò κατάνατον, omnes crudelitatis ſpecies enumerare, quâ vel ipſos Tigres & Leones Pontificij in Galliâ ſuperarûr, interim horrenda Aurelianorum facinora oculis conniuentibus tranſilire non poſſum. Hi enim Anno LXIX. ſuppoſitis ignibus, vltra ducentos omnium ordinum viros, vno die in diuerſis carceribus cremarunt. Ex his immane & barbarum in Amiralium & Eccleſias Gallicas odium, exordia, & progreſſum qui non intelligit, hunc ego vel in luce clariſſimâ cœcutire puto. Videamus interim nos ex eâ ipſa pace inſidioſa, quæ aliquoties in Galliâ inſtaurata eſt, quid diſcere & colligere poſſimus. Hoc primùm concedi à Domino inducias quaſdam ad tempus, ne diuturnitate malorum pij planè frangantur. Deinde in illius pacis inconſtantia & tanta rerum viciſſitudine, quæ per totum decennium in Galliâ fuit, animaduertere licet nullam veram eſſe poſſe pacem mundo cum Eccleſia verâ (notent *Belgæ* & Principes Chriſtiani:) vt in eâ pace, quam Deus dat, penitus acquieſcamus, & nobis à mundo ſemper caueamus, qui odit lucem & filios lucis; cuique hoc propoſitum eſt, veritatis atque Euangelij nomen, ſi poſſet, delere atque extinguere. Sed propiùs ad rem. Cùm toto biennio manu conſerendo, Reformatorum copias hoſtes opprimere non poſſent, quæ fuſæ ſubinde ſeſe colligebant, atque exercitus ducem Amiralium, virum ad labores impigrum, ad pericula fortem, longo rerum vſu peritum, ad conſilia prudentem, hunc nec veneno

veneno (vt ſæpè tentarunt) extinguere, nec in prælio cædere vel ſuperare valebant: alia viâ id aggredi voluerunt, vt qui Marte aperto nihil perficerent, fraudibus & dolo, in quibus impij ſunt exercitatiſſimi, & falſo pacis nomine inducto, ſuperiores euaderent. Cùm autem ſcirent Principum Orthodoxorum, Amiralij, ac totius Nobilitatis erga Regem obſeruantiam eſſe magnam, fidemque ſibi derogatum iri præuiderent, ſi de pace tractarent quam toties violauerant; Regem ipſum Tragædiæ hiſtrionem ſubornarunt, qui ſanctiùs nihil & ſolenniùs ſe obſeruari velle aſſeuerabat, quàm pacem; ideoque vultu ac verbis maximam clementiæ & beneuolentiæ ſignificationem Nobilitati Euangelicæ dabat, & ipſius Amiralij generum *Teligium* ad multa ſecreta conſilia adhibebat. Denique matrimonium illud Regis *Nauarreni* cùm ſorore ſuâ, tanquam ſanctiſſimum pacis vinculum & pignus modis omnibus vrgebat, &, vt maturaretur, ſolicitabat. Quid verò? Quòd cum Pontifice ipſo magnam ſimultatem ſe exercere ſimularit, indigneque ferre, quòd Papa per Legatum vetuiſſet, ne Rex ſororem Principi hæretico deſponderet? Sed ô infeſtas & nuptias infauſtas! ô coniugium infelix atque inauſpicatum! Coniugium vocant: hoc prætexunt nomine culpam. Ille, nimirum dies primus lecti, minimè læti, primuſque fons & origo mali fuit.

Etſi autem nuptiæ illæ Gallicæ Nobilitati plenæ dignitatis & concordiæ viderentur (erant tamen viri politici & præ cæteris perſpicaces diuerſum qui ſentiebant, quique ἑτεροζυγίαν illam infeliciter ſemper fidelibus ceſſiſſe recordabantur:) factum eſt, vt ex

ex toto Regno Rex ſolicitè Proceres & Nobiles Religionis reformatæ non tam ad nuptiales ferias, quàm ad inferias accerſeret. Interim (ſi mens non læua fuiſſet, aut niſi potiùs, Chriſtianis ita loqui fas ſit, in Fatis, hora mortis & calamitatis extrema veniſſet) auguria multa & ſigna ſiniſtra eladem illam indicare potuiſſent: Reginæ *Nauarrenæ* ſubitus & improuiſus interitus: Pontificiorum per Regnum totum atroces minæ, qui pacem illam leuem & breuem iactitabant: Cardinalis *Lotharingi* cum *Albano* colloquium clandeſtinum: eiuſdem Romam profectio: copiæ militum ingentes in agro Rupellanorum poſitæ, hoc prætextu, quòd naualis exercitus contra *Albanum* inſtruendus eſſet: & ſimilia multa. Cùm autem Religionis reformatæ Proceres, (prout filij Dei ſimpliciores ſunt & minùs cauti filiis huius mundi, & credulitas error magis eſt quàm culpa) totos ſe magnis cum ſumptibus ad Nuptias, ad lætitiam, & ad Regem oblectandum comparaſſent, eoſque Rex quotidie vel muneribus ornaret, vel verbis blandiſſimis demulceret: ô quàm nuſquàm tuta fides! Et, Deus bone! Quàm fronti nulla fides? Cùm idem ipſe Rex Amiralium ipſum ita haberet, vt intimum & conſiliorum maximè ſecretorum participem; heu, heu: Die poſt Nuptias quarto venit ſumma dies, & ineluctabile fatum: etenim Heröi fortiſſimo Amiralio ſub horam prandij domum ex Regiâ reuertenti manus ambæ globulo tormentario traiectæ fuerunt. Sed proh, quæ manus! Ille audiat, & recordetur Gallia vniuerſa quæ aſſerendæ libertati & paci Galliæ natæ, factæ & deuotæ fuerant. Cùm verò hoc vulnere accepto non

non ſtatim occubuiſſet, & globulus ille manus tantùm, non autem, vt factio & cohors impia ſperarant, corpus medium traieciſſet : nouâ ſimulatione noſtros adhuc producendos & conſpirationem tegendam coniurati & ſicarij putarunt. Rex eo muncio audito, vultum ad mœſtitiã compoſuit, eius facinoris reum, præmijs propoſitis ijs qui comprehenderent, perquiri iuſſit : Literas ad omnes Galliæ Prouincias per equos celeres dedit, quibus Amiralij caſum triſtem dolere ſibi ex animo, ſéque facinus illud exemplo inſigni vindicaturum denuntiabat. Denique vt Nobilitati Religionis veræ, quæ facinore tam indigno grauiter erat commota, ſecuritas induceretur, omniq́ue ſuſpicione remotâ, incauti atque improuidi Proceres opprimerentur : Amiralium Rex ipſe, aſſumtâ ſecum matre, & fratribus, decumbentem inuiſit : clementiſſimè affatus eſt, &, vt bono animo eſſet, iuſſit, ſpemq́; certam tanti facinoris vlciſcendi fecit. Ibi tum pius Heros ad Regem conuerſus : Non, inquit, Rex ſereniſſime, de vulnere meo, non de vindicando facinoris autore ſolicitus : quia cùm vitam iſtam, tum vindictam omnem Deo permitto, ad quem totus anhelo, & cuius adſpectus in cœlis, laborum, qui in hac vitâ exantlandi ſunt, finis, veræq́ue felicitatis cumulus erit. Atqui ex hac ſtatione Deo Opt. Max. me euocare, ſi viſum, tria hæc abs te Rex Clementiſſime, demiſſè oro atque obteſtor. Primùm vt pacem in regno tuo ſancitam violari nunquam patiaris. Deinde tibi perſuaſum vt habeas, ad Regni tui decus, gloriam, atque incolumitatem pertinere, vt *Belgis*, hominibus æquiſſimis, indigniſſimè oppreſſis, aduersùm

tetrum illum, immanem, & Tyrannum omninò barbarum *Albaniæ* ducem, opem feras. Postremò, illud animo tuo penitùs infixum hæreat, mihi in actionibus omnibus nihil fuisse prius vel antiquius, quã vt Edictorũ tuorum autoritatem aduersus homines turbulentos, & patriæ libertati inimicos, nihilque nisi Regis & Legis diuinæ perniciem molientes, defenderem : atque eum esse me, fuisse, & fore, apud animum tuum planè statuas, qui pro Regni tui commodis & salute vitam & sanguinem profundere sit paratus. Hæc & talia Heros animo fortis, corpore licèt languido, constanter disseruit & sincerè. Rex illinc digressus, vt Amiralio & Proceribus reliquis metum & suspicionem omnem excuteret, milites aliquot præsidiarios delectos, pro ipso Amiralij arbitrio, in illâ plateâ constitui iubet, qui cauerent, ne aut populus *Parisiensis*, aut alij in Amiralij domum facerent impetum : Quin-imò proceribus plerisque & Nobilibus orthodoxis Amiralio addictis, qui hinc inde per vrbem variè sparsi, in eâdem illâ plateâ hospitium dari Rex quoque iubet, vt ita iuncti tutiores essent, vel potiùs vnà compacti, vti oues Lanienæ destinatæ, ictu vnico mactarentur. Quis iam nunc dubitet in animis hominum multas esse latebras, insidias, & recessus ? Quis hæc expendens etiamnum dubitet veritatis orationem esse simplicem : atqui fucum, fraudes, & mendacia perplexa esse, intricata, quàm plurimis indigere inuolucris ? Vix vllum profectò animi ficti & fucati dari potest exemplum clarius & fœdius. Proh Deûm atque hominum fidem, talia cadere in pectora Christiana, talia in hominem quamlibet viliſſimum ! talia in Regem

gem Chriſtianiſſimum! Cuius nominis ſolius Maieſtas & dignitas, niſi nos reprimat, quid Regium hic vel egregium reperias? Quid verò? varium eſſe, ſubdolum, Heroici ſanguinis appetentem, ſimulatorem ac diſſimulatorem dicemúſne Principis & Regis Chriſtiani eſſe virtutes? Abſit. Diſcamus igitur hîc ſæpiùs nos ſapientes parum, vbi ſapere neceſſe habemus, & fauorem Aulicum eſſe vitreum. Diſcant hîc Aulici etiam viri boni, optimè de Principe meriti, vix fieri poſſe inuidiam, odium, atque euerſionem vt effugiant, carceres & alias calamitates. Prætereà in Aulis quàm rerum ſint vices alternæ diligentiſſimè notent. Vel extra calcem eundo breuiter & ſtrictè quod volo, explicabo. Vetera mitto, ſed exemplum caſus miſerabilis quod in *Papiniano* habemus, ecquis ignorat? in *Petro de Vineis*, *Moro*, *Aluaro de Lunâ*, *Iacobo Corde*, in *Columbo*, quem fœdè atque indignè *Bombadilla* euertebat; in *Cominæo*, *Buſſono*, *Conſaluo*, & alijs infinitis: nec deſunt exempla in Aulis Principum *Germanorum*, vetera & recentia, de quibus etiam vel tacendo ſatis dico. Nuperum tamen illud ac crudum in hac *Angliâ* beatâ, & Regno *Gallico*, quod occurrit, vix ſilentio inuoluere poſſum. Nam, me hercle, ecquid homo iſte *Italus* ad opes tantas & honores ſine vllo ſuo merito, ita repentè ex puluere euectus, nobis illuſtre præbet exemplum? niſi omninò qui cœcutiunt, vident clariſſimè. Proinde, ſi quid ſapimus exemplo aliorum ſapiamus, & quid in Amiralio Heröe fortiſſimo, memoriæ felicis, occurrat, non tralaticiè, expendamus. Rex enim *Carolus*, Deus bone! quàm citò, quàm facilè à ſummâ illâ erga Amirali-

um & ſocios eius clementiâ & facilitate, ad exacerbationem incredibilem fuit traductus ? ita vt in ſui Palatij areâ & in penetralibus Nobiles Religionis reformatæ primarios, atque inter alios Herõem fortiſſimum & Galliæ totius *Atlantem* trucidari curaret, & de feneſtris, prô pudor ! ſatellites ſuos ad talia patranda moueret atque animaret, vixque illi eius animum explere poſſent. Die igitur, qui Auguſti erat quartus vigeſimus, ſub horam quartam matutinam, cum Nobiles illi omnes ſecurè dormirent, & Amiralius ipſe ad ſomnum ſe compoſuiſſet: ecce ex abrupto magnus in illâ plateâ concurſus, ſtrepitus ingens, atque eodem momento in domos omnes furor & impetus. Quid fit ? Ibi tum miles ferox & inſanus fores effringit, omnia proſternit & miſcere cœpit. Tunc quæſo quid animi pio illi & vulnere graui affecto Herõi fuiſſe cenſemus ? Profectò conſtantiæ veteris haud immemor, cùm iam nunc mortem eamque crudeliſſimam imminere videret: per Verbi diuini Miniſtrum quem in cubiculo ſecum habebat, preces haberi iuſſit, & ad pias ſanctaſque meditationes ſe totum compoſuit ; deinde dimiſſis ſuis, vt ſibi, quantum quiſque poſſet, conſuleret, ex lectulo ægrè aſſurgens, in ſedili conſedit, vt morti, quam felicem ſibi in Domino ſciebat & præuidebat, velut obuiàm iret. Quod animo conceperat, ipſâ re accidit. Nam citra moram delectus ex toto numero homo perditus, nefarius, & ſicarius audax, Ducis *Guyſij* cliens, cùm ſibi viam ad cubiculum Amiralij ferro patefeciſſet, ô facinus terrimum & nefandum ! haſtâ totis viribus adactâ, tranſadigit coſtas & candida pectora rumpit. Acceſſit

ceſſit alius ſceleris & Satanæ mancipium, qui faciē illam Heroicam vulnere fœdaret. O ſcelera! ô furias! ô hominū monſtra & portenta! Non te, ô miles ſcelerate & deteſtabilis, reprimere & terrere potuit Dei Opt. Max. vindicta: non limen cubiculi; non ipſi parietes; non tanti Herois vultus? cuius nomen omnibus malis & ſceleratis formidabile ſemper fuit. Non ad miſericordiam magni & pij Ducis verba flexêre, qui primum illum ſicarium irrumpentem in cubiculum clarâ voce monebat, vt homini & iam grandæuo, & ſaucio parceret. Quid? quòd ſemi-mortuus Heros de cubiculi feneſtris præcipitatus eſt, vt *Aumalij*, *Guyſij*, & aliorum hoſtium oculi, qui in atrio domus cupidè ſpectaculum illud expectabant, explerentur, eique, vt *Græci* olim *Hectori* mortuo, inſultarent? O homines feros & barbaros! Qui ruptis omnis pudoris & naturæ ipſius repagulis, vt immane ſcelus alijs nefarijs ſceleribus cumularetur, in reliquos omnes Proceres & Nobiles impetus fit: trucidantur omniū ordinum viri, Regis *Nauarreni* & Principis *Condenſis* domeſtici omnes: interficiuntur clariſſimi inter cæteros Heroes, Comes *Rupefueldanus* & *Telignius* Amiralij genere, quos Rex ita charos habere antè videbatur, vt ſine illis eſſe non poſſet. O carnifices diros & immanes! Quibus non ſatis fuit ipſa neçaſſe & mactaſſe corpora, quin in ipſa bona inuolarint, quæ libidini & prædæ ſicariorum expoſita fuerūt, qui in re ſuâ egentiſſimi, ſquallidi, & ſordidi, in alienâ erant maximè profuſi: neque aliquid tam auitum & paternum, tam ſanctum vel ſolenne cuiquam bono fuit, quod rapaciſſimo-

rum prædonum manus effugeret. Amiralij cadauer in plateas protractum, a vulgo mobili, vili, atque ignobili, contumelijs affectum infinitis, & in cœno diu volutatum, capite, quod Romam miſſum dicitur, truncato; tandem indigniſſimè in publico patibulo extra vrbem ſuſpenſum fuit. O facinus indignum! ô amentiam! ô furorem barbarum, atque ab omni humanitatis ſenſu alieniſſimum! Itáne oportuit virum Naturæ habitu propè diuino, animoq; omninò magno atque excellenti: virum ad dubia & duriſſima Reipub. tempora reſeruandum, quem in patriam merita præclara, quem res bene geſtæ innumeræ, denique virum illum quem virtutis gloria ad cœlum extulerat, per inuidiam & perfidiam ad ignominioſum ſupplicium deprimi? Quicquid profectò potuit vis & furor ipſi detrahere, eripuit & abſtulit: Quod viro forti & pio adimi non poteſt, conſtantem in Deum fidem, memoriam nominis atque exiſtimationis immortalem, non vulnera ipſi, non ſicarij truculenti adimere potuerunt. Hæc Lutetiæ dum ita geruntur, & Rex hominum illorum ducem ſe præbet, dum Amiralij corpus in plateis omni iniuriâ affectum conſpicitur: tunc demum ſeditioſi ciues ſe per plateas effundere, in omnis ſexus & ordinis homines graſſari, & tanquam offuſa Regno ſempiterna nox eſſet, ita ruere in tenebris & miſcere omnia cœperunt. Quid? Quòd plurimi etiam Religioni Pontificiæ addicti ſunt trucidati, atque in ipſos Parlamenti conſiliarios, ſi qui moderatiores inter eos, ſæuitum eſt? Hoc bonis omnibus ſit notiſſimum, orationis lumen vel flumen nullũ poſſe eſſe tantum,

tantum, nullius vbertatem vel copiam tantam, quæ cladem illius diei funeſtam aut funera tanto explicet. Ad hanc enim effrænatam atque indomitam Coniuratorum libidinem quæ fieri potuit acceſſio, vt, cùm nihil ſit tam commune quàm ſpiritus vivis, terra mortuis; vbi vitam eripuerant, ipſa cadauera vel canibus dilanianda proponerent, vel in fluuium dejicerent. Sic fœmina virtute, genere nobiliſſima & ſupra ſexum egregiè docta, Domina de Iuern. cum filiabus; ſic duæ Aurelianæ mulieres ſorores in Sequanam proiectæ fuerũt, quòd Miſſam ſacrilegam audire renuerent, vitamque potiùs & ſanguinem profundere, quàm Religionem veram & ſinceram deſerere vellent. Poſt hæc ſcelera tam nefaria atque immania quid factũ? Pectus quoduis in quo vel gutta minima ſenſus humanitatis, accipiat & gemat. Pariſij exultare lætitiâ palàm: triumphare gaudio: ſupplicationes habere, vt pro re bene ac præclarè geſtâ Diuis ſuis idoliſque gratias agerent. O cœcas atque impias hominum mentes! ô ſtatuas! ô ſtipites & ſilices! Deum immortalẽ! talianè cadere in pectora Chriſtiana? Sed pergamus, & proh dolor, videamus quàm ſcelus nullum in hoc facinore fuerit prætermiſſum. Deum finxerunt nouo miraculo illas cædes comprobaſſe, & in magno Cœmiterio, quod Innocentium vocant, ſpinam quandam, quæ antea floruiſſet nunquam, ſubitò die illâ nefaſtâ floruiſſe: quam ſpinam Dux Andegauenſis, Regis frater, cum magnâ Pariſienſium & Aurelianorum turbâ viſere, oſculari, & venerari voluit. Quid quæſo

ad

ad hanc impietatem, quid ad hanc barbariam accedere poteſt? aut quid illis amentius, qui tale miraculum commenti ſunt, quo furorem ſuum atque inſaniam magis notam facerent & teſtarentur? Tunc nempe floruerunt ſpinæ, floruit domus, floruit impietas, & florent ad tempus impij; ſed areſcent tandem, & æternis ignibus addicti, vt ſtramina & paleæ conſumentur. Neque etiam tum poſt diem illam funeſtam, crudelitas prædonũ illorum & ſicariorum ceſſauit. Miſſi enim, cùm vrbe totâ fletus gemituſque fierent, & in omnibus vrbis plateis vel ex Nobilitate, vel ex Conſiliarijs & Aduocatis, vel ex Academiæ Profeſſoribus clariſſimis, vel ex Mercatoribus non pauci crudeliter trucidati ſunt: Quin etiam miſſi à Rege, ô factum minimè Regium! qui per omnes domos, & domuum penetralia inueſtigarent, ſi quis fortaſſe abditus, manus ſicariorum effugiſſet. Hinc ſtrages rurſus facta eſt maxima, neque tunc, vt cum Poëta loquar, hoſpes ab hoſpite tutus fuit. Plurimi etiam viri nominis atque exiſtimationis magni in carceres coniecti; ſi qui Miſſam execrandam audire nollent, confeſtim iugulati, & in fluuium præcipitati fuerunt. Poſtremò, vt furor & ferrum ipſorum ad omnes peruenirent, atque in regno toto omnia perfringerentur, per celeres equos Prouinciarum gubernatores, & Regni ciuitates literis, & quibus poſſunt modis, hortãtur, vt ſuo exemplo Religioni reformatæ deditos, funditùs omnes & ſine exceptione deleant, extirpent. Interim non defuêre etiam grauiſſimi Religionis hoſtes, qui parêre mandatis

mandatis recuſarunt ; interque cæteros, Ducatus *Burgundiæ* Gubernator, cui Regis rationes planè improbatæ fuerunt. Nuncium tamen illud Aurelianis inprimis & Lugdunenſibus ſeditioſis fuit gratiſſimum : vbi ſupra modum ſæuitum eſt, & Lanij adhibiti fuerunt, vti *Licinij* Imperatoris tempore, qui Chriſtianos mactarent : immò, quod horrendum dictu eſt, eorum qui paulò obeſiores erant, adipem venalem haberent. Hoc etiam triſte & luctuoſum, quòd perpaucæ omninò in Regno ciuitates, perpauca oppida, pagi & fluuij pauci, qui piorum martyrum ſanguine non maduerint. Quid ? Quòd immanitas tanta fuit, vt nec in tantâ calamitate viduis mulieribus maritos, orphanis parentes lugere liceret ; niſi quòd Lutetiæ tunc pueri atque infantes inuenti ſunt, qui, cùm viderent ſe à matrum ſinu auelli, matres ad ſupplicium rapi, eiulare non deſtiterunt, donec & ipſi tenerum ſuum ſanguinem profunderent. O barbariem plus quàm Scythicam ! Nam quis hoc fecit vllâ in Scythiâ tyrannus, vt eos quos luctu afficeret, lugere non ſineret ? Rectè Orator & Philoſophe grauiſſime, qui homines tam barbaros, tam ſceleratos æquo animo non tuliſti, videre non potuiſti. Nihil igitur coniurati veritatis hoſtes vt habeant, quo ſe coram Deo, ipsâ naturâ, atque vllo homine Chriſtiano tueantur, vel ab ipſis Ethnicis confundantur, qui neque veri Dei cognitione imbuti, neque literis ſacris tincti, neque magno iſto & ſplendido Catholici Romani nomine & titulo inflati, vel ex ipſâ naturæ luce hauſerunt ea quibus pudorem

vobis Scribis & Phariſæis incutiunt. A vobis igitur, ſi Dijs placet, à Concilijs veſtris & traditionibus, è ſcrinio Patris ſcelerum Papæ, huiuſq; emiſſarijs & ſicarijs, Lex nempe & Prophetæ dependent? Pudeat vos Latrones & prædones; væ vobis hypocritis, qui Eccleſiæ primatum titulo falſo atque ementito vobis tribuitis; vos, inquam, P. C. & coniurati, qui pietatem veram, ſcientiam bonam, & conſcientiam ſanam abiuraſtis. Ne porrò quis putet nos incaleſcere fruſtrà, & loqui cum præiudicio, iudicium rectum tollere quod ſolet, audiamus & perſequamur reliqua, idque per rerum faſtigia & capita ſumma, ne in infinitum excreſcat oratio. Illa quæ diximus, quamlibet immania & crudelia, necdum illorum Tyrannorum ſatisfecêre libidini. Pergunt igitur, & virum clariſſimum reique militaris peritiſſimum, iam ferè ſeptuagenarium *Bricmaldum*, qui fortè in legati Angliæ domum ſe abdiderat, nec non & Principum *Nauarræ* & *Condæi* Cancellarium virum prudentiſſimum *Cauagnæum*, Lutetiæ in medio foro ſuſpendi curarunt; & Amiralij defuncti imaginem ac inſignia per plateas ignominioſè tractata ludibrio habuerũt, totiq; quotidiè in eo erant vt Religionẽ veram & reformatã profitentes, vel iugularent, vel horrificis minis ad impias & nefandas ſuas ſuperſtitiones adigerẽt. Ex his luce clariùs meridianâ liquet, iſtorum hominum crudelitatem fuiſſe ſummam, naturam feram, immanemque, prædones nefarios, denique piratam fuiſſe nunquam magis barbarum. Crudelis fuit *Antiochus*: ſed apertus Eccleſiæ hoſtis, & Ethnicus:

Crudelis

Crudelis *Nero*, verùm & quinquennio toto clementiſſimus,& poſtea apertè malus. Crudelis *Domitianus*, ſed cùm regnum Chriſti ſpirituale, non terrenum eſſe intellexiſſet, in Chriſtianos ſæuire deſijt. *Carolo* Sexto Galliæ Rege imperante,iuuene eo ſtolido atque inſulſo, (ſicut Annalium monumentis proditum eſt) Gallia magnis difficultatibus affecta fuit. Atqui nihil ex omni antiquitatis memoriâ repeti poteſt,quod ad eam truculentiam, quam commemorauimus accedat; maximè circumſtantias omnes ſi benè penderemus. Hæc ita cùm ſint veriſſima, clariſſima,& teſtata, nugatoriâ tamen accuſatione & commentitio coniurationis crimine pios illos Proceres onerare non ſunt veriti: cùm ex illis omnibus ne vnus quidem vel laceſſitus gladium ex vaginâ eduxerit: cùm mulieribus quoque & infantibus immites ſicarij mortem obtulerint: cùm ex eorum manibus ipſi Germani, atque inter eos Comites,Barones,& nobiles aliquot, non ſine magno diſcrimine, euaſerint; cùm ipſum Galliæ Cancellarium virum ampliſſimum, *Michaelem Hoſpitalium* hoc tantùm nomine,quòd huiuſmodi conſilijs nefarijs aduerſaretur, ex aulâ remouerint, atque vti captiuum habuerint: cùm apertè non paucos vi & minis ad Miſſas ſuas idolatricas adegerint: cùm paſſim graſſarentur: cùm denique primus in Parlamento Præſes *Chriſtophorus Thouanus* Regi illam, egregiam ſcilicet victoriam gratulans, palàm inter alia dictum illud *Ludouici* vndecimi ſubiecerit: QVI NESCIT DISSIMVLARE NESCIT VIVERE.

Sed oratione nimis longâ, VIR AMPLISSIME, Amplitudinem T. detineo; proinde ne Amplitudinis veſtræ abutar patientiâ, quæ reſtant conferã in pauca. Hoc igitur vel vnum quàm maximè diſpiciamus, num iſta quæ diximus, Pontificiorum ſceleratam coniurationem ita perſpicuè oſtendant, vt vel oculis cerni poſſit? Hinc qui ſapiunt Reges Chriſtiani & Principes, hoc videant atque intelligant maturè, hanc calamitatem Gallicam à ſuâ ſeiunctam eſſe non poſſe, cùm & Religio communis oppugnetur: & tot ſceleribus delibuti, ſanguiniſque piorum auidi tyranni conquieſcere non poſſint, Etiamnum, ô viri Principes Illuſtriſſimi, dubitatis & hæretis? Nolite. Videte & notate in re clarâ poſt illa, quæ cõmemorauimus tẽpora, *Henrico* quarto Regi Chriſtianiſſimo quid aliquoties, atq; ante annos nouem acciderit? Quantis inſidijs, fraude, & dolo *Elizabetham* Angliæ Reginã ſereniſſimam, memoriæ felicis & beatæ, ſunt proſecuti, perpendite: Quibus non machinis publicè & priuatim miſeros *Belgas* per annos quadraginta totos & quod excedit. In memoriam vobis reuocate, vos quotquot Nobiles Angli conſpirationem illam puluerariam horribilem, quæ vno ictu, Regem Potentiſſimum, Reginam Sereniſſ. familiam Regiam, & florem Nobilitatis Angliæ totius perdere atque euertere conata fuit. Operæ eſt pretium ſcire quàm nomine plauſibili & ſpecioſo Paraſiti *Hiſpanici* & Religionis Romanæ Antiſtites appellent ſcelera eiuſmodi horribilia: Ictum nempe cœlo datum. O vota! ô voces atque homines infernales!

Vos

Vos ô boni! fomitem & fontem ſcelerum veſtrorũ vel ex ipſo deducitis cœlo? Vera dico, viri Chriſtiani, atq; ipſi ſcitis hæc ita eſſe: Hunc ictum niſi prohibuiſſet cœli & terræ Dominus, Angliam, non ab vno aliquo Myrmillone fuiſſe miſeram & vexatam, non ictu vnico proſtratam, ſed infinitis confectam vulneribus, iniurijs, vi, cædibus & rapinis, ægrè precariam animam inter infenſos hoſtes trahere potuiſſe. Proinde oro vos atque obteſtor, ne vos viri Principes & Nobiles fucata Chriſtianæ Religionis, & Catholici nominis ſpecies decipiat. Hoc potiùs animis omnium ſit pœnitùs infixum, vim vi à corpore, à vita ſuâ propulſandam: hanc enim depulſionem ratio doctis, neceſſitas Barbaris, mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit. Quid eſt quòd plura loquar? Nulla nobis ſocietas cùm Tyrannis; ſed potiùs ſumma diſtractio ſit. Cogitemus omnes & ſinguli, quibus Religio, ſalus, dignitas, & Reipub. libertas curæ vel cordi, à Pontificiorum technis atque inſidijs nobis cauendum eſſe. Seriùs vel citiùs quod tegunt & fouent, ſuo tempore parturire volent. Etenim ceſſare illos quiſquis credit, fallitur: quia axioma illud vetus & verum, imò ſanctum, minimè fallax: Non eſt pax impijs. Ergò coniuratorum induciæ tantùm abeſt vt ſint tutæ, potiùs inſidiæ vt ſint putandæ; quæ etſi lateant ſubinde ad tempus, tandem tamen aliquando patent & erumpunt, atque ex actionibus illorum, ſicut ex vnguibus Leo, facilè cognoſcantur. Quid? Ecquid nunc maior nobis ſecuritas

quàm in Gallicis iſtis turbis, cùm Ieſuitæ peſtes iliæ hominum, ſe in complures Prouincias, vrbes, oppida, arces, atque adeò in Aulas etiam Principum, eorumque familiaritatem perquàm demiſsè inſinuarunt? Sic enim illi vitilitigatores & humiliare ſe primò, & paupertatem ſimulare, & verò ſuper omnia pietatem mentiri egregiè admodum nouerunt: vt non modò incredibilem ex ficto nomine quæſtum æruſcatores illi, veræque Religionis opinionem conſecuti ſint: verùm etiam canum venaticorum inſtar, quibus ne *Verres* quidem ſagaciores habuit, omnia Principum conſilia, omnia ſecreta & arcana Reipub. diligentiſſimè explorauerint. Quæ ſingula poſtea cùm primùm ad ſuos delata, & communicatis conſilijs diſputata fuerunt: tum miſſi ſunt ſtatim in Prouincias varias, quos nonnulli Regios: quidam Legatos Pontificios, alij nuncios Apoſtolicos: alij verò, alijs titulis vocant: ego, quo nomine appellem haud ſcio: niſi fortè, quòd alios pretio & largitionibus, alios ſpe & promiſſionibus, nonnullos metu ac minis tentare ac ſolicitare ſoleant, inſidiatores patriæ, ac proditores rectè vocari queant; qui ſi à Regnorum & Prouinciarum finibus ab ipſo principio prohibiti, atque omnium Ordinum conſenſu in poſterum abſtinere iuſſi fuiſſent: næ iſti Veteratores vel virus ſuum in Regiones varias intuliſſent, vel dignam pro merce mercedem à quàm plurimis reportaſſent. Sed poſteaquam illis, ab initio ſtatim Regibus & Principibus inſidiari, auro & argento rem agere, exploratores mittere, emiſſarios

ac

ac penſionarios habere,& quocunque vellent, ire ac redire, pro ſuo arbitrio, licebat : incommoda ſecuta ſunt atque etiamnum ſequuntur quotidie infinita. Teſtetur vel ipſa *Hiſpania* harum veſparum & locuſtarum cumprimis alumna. Teſtis etiam ſit *Italia*, loquatur *Gallia*,& non vulgares *Germaniæ* & *Belgicæ* vrbes. Beatam *Angliæ* Inſulam à muſcis iſtis & locuſtis, niſi fortè clanculùm abditis, liberam, ex animo gaudemus,atque æternùm libera vt ſit Deum rogamus. Interim IACOBE Rex potentiſſime, Fidei defenſor & vindex fortiſſime & conſtantiſſime, perge homines ἄθεους, irriſores & contemptores Dei, (à cuius vnius potentiâ omnis humana poteſtas deriuatur) ſub Religionis prætextu, iuſta & legitima Imperia funditùs extirpare qui conantur, à regno tuo arcere. Videt Maieſtas tua pro ſapientiâ ſuâ ſingulari, quid ſcelerata illa Pontificia libido,de Te ipſo,de liberis,poſteris, ac ſubditis tuis ſit factura. Nunquid vorago illa Romana iam pridem omnes *Angliæ* fortunas, ſanguinem, vitamque animo deuorauit? Nunquid iſti ſancti viri,Societatis Patres, ij ſunt qui non tantùm in rem familiarẽ,in bonorũ arculas, ſed potiùs in libertatem & ſalutem noſtram velut in medullas & oſſa inuadere contendunt? Nunquid hi ſunt : qui vitam & animas noſtras, atque ipſum denique cœlum non oppugnare tantùm, verùm etiam pretio vendere nefariè conſueuerunt? Hi nimirum ſunt audiendi, ab his & non alijs Reges & Principes iudicandi; conditionem iniquiſſimam ſi recuſant & non accipiunt vltrò, ſtatim illos ad internecionem

internecionem perſequendos eſſe clamitant. Nunquid hi ſunt iſti ſocij, qui Inquiſitionē iliā *Hiſpanicam*, quæ contra Saracenos primò, atque infideles tantùm vſurpata eſt, paſſim introducere, manibus conantur pedibuſque? Atqui quis quæſo fructus inde, quis vſus? Nullus planè niſi cædem ex cæde, atque occiſiones crudeliſſimas expectare miſeri cogamur. Abſit autem, Rex ſereniſſime, voſq; viri Principes boni & magni, vt nos, qui tam longo terrarū ſpacio ab *Hiſpanijs* ſeparati, & cum eius gētis Religione, moribus, atque inſtitutis parū vel nihil commune habemus, in Regno & Repub. benè conſtitutâ viuimus, idē cum iſtâ gente maximè in re Religionis iugum trahamus, nobiſque vel vlli bono vnquam illud malum, in quo omnia mala inſunt, HISPANICA INQVISITIO obtrudatur. Hæc enim illa eſt, ſi quis neſcit, quæ non tantùm veneno tollit & occidit viros Illuſtres, optimos patriæ ciues, iura ciuilia Rerumpub. conuellit; ſed ipſas Naturæ Leges, & Gentium Iura infringit. Audite amplius & cognoſcite Principes. Anne dirum illud atq; immane monſtrum ipſa etiam *Hiſpania*, & *Aragonia*; anne *Granatenſes*, *Caſtellani*, *Neapolitani*, *Itali*, *Galli*, atq; inter omnes omniū miſerrimi *Belgæ*, tot ſanguinis ſui profuſionibus tam crudelem belluam alere potuerunt? Quæ verò iſta tam efferata, quæ tam inſaturabilis *Hiſpanico-Romana* beſtia eſt: quæ, non dicam vtique ſaginari, ſed ne quidem ad vmbilicum expleri Chriſtiano ſanguine poteſt? Huic-ne beſtiæ tam feroci humaniores *Galli*, prudentiores *Belgæ*, & generoſi ac nobiles

Angli

Angli obſequium præſtare recuſabunt? Merito. Exempla quæ vt plurima potiſſimùm mouent ob oculos vobis ponite, illa ponderate, & memoriam recentem *Gallorum*, *Germanorum*, & *Belgarum* recolite, & cauſam habebitis ſatis magnam, viri Principes, ius veſtrum, priuilegia, & Religionem inprimis Chriſtianam, à fece & ſordibus Pontificijs repurgatam defendere; quam ſanè pro fide & officio veſtro, dextris veſtris defendi volunt, ac, niſi cum manifeſtâ rerum diuinarum atque humanarum pernicie à vobis deſeri non poſſunt. Non enim veriſimile eſt Stoicam illam ἀπάθειαν vſque adeò animis veſtris inſitam atque impreſſam: vt multa bonorum virorum vota, preces, atque etiam iuſtæ querelæ, nullum planè humanitatis ſenſum, nulla innocentiæ ſuæ præſidia apud vos inuenire poſſint. Deum quæſo, Principes Illuſtriſſimi, vobis hoc perſuaſum ſit: ſi qui ſint omnium hominum, quibus talem tantamque rem curæ eſſe oporteat: vos illos potiſſimùm eſſe, atque ad vos præcipuè cauſam illam pertinere: quos Deus Opt. Max. in hoc ſeculo tam exulcerato atque acerbiſſimo ſalutis & Religionis reſtauratæ vindices conſtituit: vt pro ſuâ quiſque virili, tantùm & prudentiâ veſtrâ, animi moderatione, fide, ſtudio, vigilantiâ, & (vt omnia verbo dicam) veteri illâ & germanâ virtute Anglicanâ, cuius apud omnes gentes immortalis gloria eſt, tantum ciuibus veſtris prouidere & conſulere ſtudeatis: quantum idem Deus noſter, pro ſuâ clementiâ, conatus veſtros haud dubiè adiuuabit, atque omnes boni viri non modò

exoptant, verùm etiam poſteritatis memoria celebrabit. Hac autem vnâ in re, longè honeſtiſſimâ & animorum & conſiliorum concordiam requiri, latêre poteſt neminem niſi rerum humanarum planè imperitum. Hæc enim ſola eſt, quæ in dubijs rebus recta conſilia : in aduerſis conſtantiam & robur : in ſecundis animi moderationem, atque adeò in omni fortunâ εὐθυμίαν illam præſtat : ſine quâ nihil à nobis cogitari, nihil fieri rectè poteſt. Hæc, inquam, vna & ſola eſt, quæ arctiſſimum illud charitatis vinculum tuetur, & neque inuidiæ priuatim, neque ambitioni publicè concedens, omnis feliciratis veſtræ, ac Maieſtatis arcem conſtituit: quæ ſi inter nos maneat confirmata, nihil, vt ſpero, imò confido, cauſæ fuerit : cur vel de Reipub. ſalute, vel de reſtauratâ reſtitutâque puriore noſtrâ, verè Catholicâ & Apoſtolicâ religione, ampliùs dubitemus.

Tu, ſumme Deus, qui Cœlum, Maria, Terras, bella, pacem moderaris ; qui Regibus, Principibus, atque vniuerſis mundi populis leges, iuſſa ponis : qui victoriam, triumphos, trophæa, ſtatuis & decernis : qui clades, pericula, iniurias inhibes, auertis ; hanc nobis Concordiam firma, hanc nobis Religionem in hac *Angliâ* beatâ, id eſt, hoc quidem tempore, in ampliſſimo Orbis terrarum Theatro atque ocello confirma. Aſſurge magne Deus, & erige te aduerſus hoſtem omnis Iuſticiæ & Pacis, hoſtem tuarum laudum & gloriæ. Tu prouidentiâ tuâ diuinâ, rege & dirige, viam & vitam, Regis noſtri IACOBI ſereniſſimi, Pietate, Doctrinâ,

ſtrinâ, Iuſtitiâ, Sapientiâ & Clementiâ Illuſtriſſimi. Libera illum & nos populum tuum, à concurſu atque incurſu hoſtium crudeliſſimorum, à ſacrilegis illis coniuratis, & ſceleratis Papicolis, qui ſanctiſſimum tuum nomen vt pietate veráque Religione veneremur, non ferunt: Quiáque in triſti illâ & luctuoſiſſimâ Galliæ Lanienâ vt bonis & pijs vitã, ita nobis vtramque, & vitam & liberè loquendi ac ſcribendi facultatem eripere conantur: denique qui nulli hominum fas eſſe, vel de articulis fidei, vel de Religionis controuerſiâ extra Conciliũ verba facere affirmant. Reprime ô DEVS, contumeliam & conatum talium hominum, qui nobis hominibus liberis pro iure noſtro & veritate diſſerentibus, neque linguam, neque mentem liberam permittunt. Benedic reuerendis, pijs, & doctiſſimis Eccleſiæ Anglicanæ Epiſcopis, atq; Academiarũ Profeſſoribus Theologis. Moneant illos & Chriſtianum quẽuis hæc tempora acerbiſſima, quæ ferreo ſeculo magis ferrea, vt ſepoſitis intempeſtiuis contentionibus, inuectiuis, & præiudicijs multorum in *Belgio*, *Germaniâ*, atque alibi Theologorum, ad veram pacem & concordiam ſarciendam, firmandam, & confirmandam, potiùs animum applicent, (vt olim graſſante in orthodoxos *Valente* Imperatore à *Baſilio* & *Euſebio Caſarienſi* factum eſt) quàm vt nouas litis materias, iracundè & morosè conquirant. Si litigare & concertare nobis certum eſt, mutuis certemus officijs, piaque æmulatione in curriculo pietatis. Si pugnare libet: agedùm contra ſuperbiam, auaritiam, ambitionem, contraque

prauos atque affectus diſtortos dimicemus. Ignem iræ diuinæ, qui ob peccata noſtra exaſit, lacrymis precibuſque ſanctis reſtinguamus. In patientiâ, ſilentio, & ſpe animas noſtras poſſideamus. Interim vt vt ſit, hac ſpe nos ſuſtẽtemus atq; erigamus, vt recordemur homicidarum & tyrannorum miſerrimum ſemper fuiſſe exitum: vt quos iam aſſiduæ, domeſticæque furiæ vexant, iam mala conſcientia terret, & ſubitus ſequitur interitus; denique quos, teſte *Iuuenale*, Satyr. XIII.

——Diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum,
Pœna autem vehemens, & multo ſæuior illis,
Nocte die q́ ſuum geſtare in pectore teſtem:
His ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.

Profectò ita ſe res habet, & rem, quod dicitur, acu tetigiſti, mi *Iuuenalis*; quodque affirmaſti ſi vel *Caligula*, *Domitianus*, *Nero*, & noſtri ſeculi Dux *Albanus*, monſtraque ſimilia ab inferis reſurgant, confirmarent. Hæc & talia viri boni cogitent, & ſeſe erigant, inprimis *Galli*, qui aliquando Gallicis illis erepti flammis, relictoque infelici regno, relictis feris & rapacibus Lupis, in hanc *Angliam*, id eſt, pacis gremium, non in exilium & vulgare aliquod hoſpitium, ſed ad beatas quaſdam inſulas appulêre. Nos etiam *Belgæ* ne timus ingrati, magnum Dei beneficium vt agnoſcamus cauſa eſt iuſtiſſima, grauiſſima, vnà gentis Anglicanæ humanitatem atque hoſpitalitatem. Nam proh dolor! cùm manibus

nibus compreſſis ſpectare patriæ noſtræ funera triſteſque exequias cogeremur, cùm dirus *Iberus* Reipub. noſtræ corpus laceraret, dilaceraret, & tanquam bellua rapaciſſima deuoraret, noſq; ademtis legibus, priuilegijs, atque omni libertate, tanquam ſerui vitã, & bona omnia precariò haberemus; hoc Regnum, hæc *Anglia*, in qua contra tyrannidem & Pontificias fraudes ac ſuperſtitiones, ſcribere liberè & diſſerere licet, quamplurimis, bonâ Reginæ ſereniſſimæ *Elizabethæ* veniâ (cuius vel hoc nomine nomen & memoria ſit in benedictione) fuit aſylum perfugium, & portus tutiſſimus. Hanc veniam & gratiam ſingularem, exinde continuauit atque etiamnũ benigniſſimè continuat, Potentiſſimus Magnæ *Britanniæ* Rex, cui etiam eâ de cauſâ eiuſq; Regiæ poſteritati benè faciat Deus; nos certè eius Maieſtati quàm maximè deuinctos atque obſtrictos eſſe fatemur. Lubens meritoque ignoſce, VIR AMPLISSIME, affectui noſtro, quẽ nunc comprimo, & deſino plura de homicidis iſtis & latronibus, quos tamen potiùs adumbraui, quàm narraui: nam quò progrederer? quis orationis finis? ſi omnia Pontificum, Ieſuitarum, ſacrificulorum & raſorum religioſâ veſte indutorum recitare mihi eſſet propoſitum ſcelera? Si peſtifera & funeſta imperia, quæ æquitate humanâ tueri non poſſunt, fucatâ Chriſtianæ Religionis & Catholici nominis ſpecie ſolent defendere, dicam? Si, quod omnium ſcelerum argumentum eſt maximum, latrones & ſicarios in numerũ ſanctorũ referre probem & oſtendã, illorumq; affines & propinquos ex puluere

& ſordibus eductos, ad titulos honoreſque Cardinalitios prouehant ? O ſcelera ! ô peſtes ! ô labes ! Prô Deum atque hominum fidem ! quid eſt, ſi non hæc amentia eſt ? Præ indignatione non poſſum plura : vnum addo; exclamo, atque Orationis totius filum abrumpo. O præclaros rerum diuinarum interpretes, auctores iniquitatis, correctores atque emendatores Religionis, & doctrinæ diuinæ ! O Pontificem præclarum cuſtodem Ouium, vt aiunt, Lupum !

Deum Opt. Max. quæſo, vir Nobilis ac Magnifice, vt Te, ob in patriam noſtram merita, in Principes officia, ſeruet diutiſſimè. Profectò quotquot ſumus *Belgæ*, virtutis tuæ, prudentiæ, & fidei amantes eſſe ac ſtudioſos rationi atque æquitati omninò eſt conſentaneum. Quid igitur opus teſtimonio vllo vel elogio ? ſi hæ virtutes tam præclaræ ornent Amplitudinem tuam, ſine vllâ nominis tui atque exiſtimationis labe. Hanc tuam curam, induſtriam & prudentiam ſingularem inſpicimus, & ſuſpicimus. Res noſtræ quoties fuêre turbatæ ſeu deſperatæ, conſilio iuuas & auxilio. Praua & nouitia opinionum in Religionis negotio fugis, neque tuâ pro prudentiâ, funeſtis & diſſidijs exitialibus te miſces ; quorum diſſidiorum qui auctores extitêre & fautores, nunc ſi poſſunt, eadem explicent. Nos Amplitudinis T. exemplo diſcemus, potiùs cum mediocritate ſapere, & pietatem colere, quàm illa ſcire velle quæ Magiſter maximus non vult docere. Perge, vir Magnifice, bonis omnibus præire exemplo tam illuſtri, & oſtende quàm

quàm tutum ſit ac laudabile in Legationis tuæ laborioſo, ſed curſu glorioſo, ſuam ornare Spartam. Non ſint immemores noſtrates, in memoriam ſibi reuocet poſteritas non ingrata, quàm in choro alieno pedem non ponas. Recordetur operâ eâdem, quàm hoc nomine Heroinæ ELIZABETHAE, *Angliæ*, dum viueret, Reginæ memoriæ felicis ac beatæ, tueris gratus. Dici etiam non poteſt quantoperè eâ de causâ IACOBO I. Magnæ *Britanniæ* Regi ſereniſſimo placeas. Mitto hîc conſilij & ingenij tui copiam, quâ in rebus arduis vales, & vulnera patriæ noſtræ curas, ita vt meritis tuis deuincti ſimus *Belgæ* omnes. Quas grates laudeſque verbis dicere poſſum maiores, clariores, veriores? Me hercle, nullas. De te igitur, vir Magnifice habes. De argumento noſtro quod ſub nominis tui Amplitudine in hominum manus mihi dare viſum, hoc optarim, viros quàm plurimos primarios atque ad Reipub. clauum ſedentes, facem virtutis & prudentiæ eximiæ abs te acceptam, retinere ac præferre. Quod ſi fieret, non iam amplius exemplo Regis *Caroli*, de quo in orationis noſtræ curriculo, ſimulare & diſſimulare placeret; non ex perfidiâ gloriam vel laudem quærere. Non *Aumalij*, *Guyſij*que tantâ cupiditate, piorum ſanguinem ſitirent. Non denique purpuratus ille Cardinalis *Lotharingicus*, cuius animus audax, ſubdolus, varius, animos Principum aduerſus Religionis reformatæ homines tanto feruore atq; ardore incitaſſet. O hominem mille nocendi artibus inſtructum! Quàm tibi gratum vnanimes armare

in

in prælia fratres, & odijs verſare domos! O mancipium Lupi Romani & purpuratæ meretricis, quàm loci tui atque ordinis hominibus ingratum audire & ſequi vocem Paſtoris iſtius boni & veri, qui dixit PAX VOBIS, quique animam ſuam depoſuit pro ouibus ſuis? Hunc paſtorem, hunc ducem, VIR AMPLISSIME, vt audiamus & ſequamur, huic ex animo vt militemus, per huius oſtium vt ingrediamur atque egrediamur faxit DEVS OPT. MAX. Illos viciſſim fures, latrones, & ſicarios, qui non veraci effigie, ſed fallaci imagine Chriſtiani velantur; argue illos, inquam, qui non alio ad nos veniunt fine, niſi vt furentur, mactent, ac perdant fideles, id eſt, Chriſti oues & teſtes, fugiamus. Tanta cum illis, qui inflati & perditè ſuperbi terrâ marique vitam fortunaſque noſtras oppugnant, ſit concordia, quanta Lupis & Agnis ſortitò obtigit: Nunquam ſi homines auaritiâ, ambitione, & DOMINANDI CVPIDINE, impulſi, per fas atque nefas, ſummum Imperium, ſummam felicitatem ducere deſtinent. Nihil ego dico quod non vident prudentes, nihil, quod non dies docuit vel docebit, nihil denique, ſi loqui licet, quod non ipſa clamat veritas. Sed bono ſimus animo, nondum orbis terrarum ſunt Domini, qui Beatitatem omnem in Potentiâ ponunt, & ſæpiùs totum terrarum Orbem territauêre armis: nondum Maris, qui Nauali terrore Maris fauces claſſe armatâ ſuffocaſſe videntur. Hoc agitis ô boni, non vt viri boni forteſque dormiant, ſed vigilent; non vt vicini & remoti arma vel animum

animum abjiciant, ſed maturè ſibi caueant. Fiet, fiet, Deo benè fortunante, vt talis inter nos & vos ſit hiatus, qualem doctrina Euangelica nobis indicat. Hoc volo & cupio, vt illi qui Chriſtiani vocantur, & Chriſtum in membris perſequuntur, (teſtes Lanienæ Gallicæ auctores, & farinæ eiuſdem homines) in ſempiternum à nobis ſeparentur. Scio & confido hoc meum votum fideles, ſeruos DEI & præcones Chriſti, quos varijs temporibus tyranni crudeliter mactarunt, probare, imprimis in triſti illâ Lanienâ quam nonnihil adumbrauimus. Scio in hac *Angliâ* beatâ nulli pio & verè Orthodoxo diſplicere, quòd Pontificiorum & Ieſuitarum priſtinas perfidiæ technas nonnihil perſtrinxerim, atque ob oculos poſuerim, qui ſacerdotes haſtati tranquillitatem Reipub. perturbare, fundamenta Imperiorum euertere, atque Principes optimos, imprimis ab inquinamentis cæcitatis Pontificiæ alienos, de ſtatu deturbare conantur. Hoc vnum igitur quæſo & peto, ô Principes, vt vigiletis, armis animiſque excubetis, ne vos dormientes & imparatos opprimant atque inuadant hoſtes illi, qui *Africam*, *Aſiam*, *Europam*, Orbem terrarum tot iam annos vexarunt, & niſi caueatis, tempeſtiuè, vexabunt. Moneat vos & moueat magnus ille & fidelis gentium Doctor: Ne impari iugo copulemini cum infidelibus, quod enim conſortium iuſtitiæ cum iniquitate? et quæ communio luci cum tenebris? et quæ concordia Chriſto cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli?

DEVS OPT. MAX. quem nulla nec aſtutia ludit, nec violentia lædit, calamitatem & clades bonorum felicitate, felicitatem Tyrannorum calamitate compenſet. Tibi verò, vir Ampliſſime, pijs & bonis omnibus in hoc mundo vili atque immundo vt benè faciat, & in vitâ futurâ æternum, OPTO VOVEOQ. DIXI.

De die feſto *Bartholomæi.*

HEi mihi, quam celebrat tibi Gallia *culta quotannis,*
O minimè ſacram Bartholomæe *diem!*
Hæc fuit illa dies multorum cauſa malorum,
Quæq; bonos multos abſtulit vna dies.
Sacra ſacri celebrant, celebrantq; profana profani:
Hæc ſacra nulla magis, nulla profana magis.
Credite Papicolæ raſa & gens credite, veſtra
Deteget Æternus facta nefanda Deus.

FINIS.